

7925  
40 CAP. III. DE ACQVISIT. QUÆSTUS MERETRICII,  
*instit.* Hæc enim est illa Juris autoritas, qua demonstratur, ex  
stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse acti-  
ones, ut loquuntur Impp. in *L. Mercalem. §. C. de condict. ob  
turp. caus. jung. L. 61. ff. de V. O. L. 5. §. 1. ff. de pact. dotal.*  
Deinde haud leve pondus accedit ei sententiæ à *L. Procurator fin.  
§. Seja 1. ff. de O. & A.* ubi casus proponitur de muliere, quæ  
virum quendam sibi valde cupientem è sedibus ejus ad se dubiis  
litteris evocaverat, eidemque salarium annuum promiserat: cum-  
que postmodum quæstio orietur, an ex litteris illis salarium præ-  
standum esset, respondit *¶ Cuius Scavola, ex personis causisq; ju-  
dicem estimaturum esse, an actio danda sit.* Si enim personæ  
illæ deprehenderentur amore inhonesto atque turpi adversus se  
invicem exarsisse, nullam viro dandam esse actionem; quod si se-  
cus, recte eum petere posse salarium promissum: cum illo ca-  
su salarium istud promissum nihil aliud, quam remuneratio quasi  
16 quædam amoris turpis foret, & sic ex causa turpi descendere, ex  
qua nihil debetur; hoc vero aliud dicendum esset. Ex quo recte  
concluditur: Si, quod à muliere lascivia viro pro inhonesto con-  
cubitu sive stupro promissum, non debeatur; quod ex causa turpi  
nulla fluat obligatio: multo minus illud petendum esse, quod à vi-  
ro mulieri meretricio more viventis pro actu scortationis promis-  
sum fuit; cum huic etiam promissioni eadem, imo eo maior subsit  
turpitudine, quo minus turpe videatur scortatione stuprum. Ut  
mittamus, quod si meretrici actio competeret ad mercedem sibi  
promissam exigendam, frustra dubitatio quædam ab *Ulpiano in  
d. L. 4. §. 3. de cond. ob turp. caus.* mota fuisset, an datum repeti  
posset; si non datum, sed promissum tantum peti posset. Neque  
quicquam facit in contrarium; quod meretrix quæstum suum non  
turpiter accipere dicatur, & sic eundem quoque petere liceat: hæc  
enim illatio non admittitur; siquidem multa honeste accipiuntur,  
quæ tamen honeste non petuntur *L. 1. §. proinde §. ff. de extra-  
ord. cognit. & distinctæ sunt quæstiones, an fornicator quid licite  
dare possit, quod conceditur; & an idem ex lege justitia com-  
mutativa quid dare teneatur, quod merito negatur.* Hisce ac-  
cedit,